

protegunt tenui linteo. Candidissima verò fit post insola-  
 tionem etiamnũ recocta. SETA INDVCAT.  
 Idest penicillo setis cõposito. ITA OBSTANS  
 CERÆ PVNICÆ LORICA, NON  
 PATITVR NEC LVNÆ SPLEN-  
 DOREM, NEC SOLIS RADIOS,  
 LAMBENDO ERIPERE EX HIS  
 POLITIONIBVS COLOREM. Hũc  
 locũ cum superiore ita transtulit Plinius lib. 33. cap. 7.  
 de Minio loquens, Solis atq; Lunæ contactus inimicus, re-  
 mediũ, vt parieti siccato cera punica cum oleo liquefacta  
 candens setis inducatur, iterũq; admotis gallæ carbonibus  
 aduratur ad sudorem vsq; , postea candelis subigatur, ac  
 deinde linteis puris sicut & marmora nitescunt. FER-  
 REA LAMNA SVMATVR, IN EA  
 MINIVM IMPONATVR. Lamna pro  
 Lamina, ea figura qua mna, & mina, videri potest dictũ,  
 vt apud Horatium lib. 2. Carminum, Ode. 2. Sed enim  
 mnam Græcum & integrum verbũ, minam autem Latinũ  
 esse existimari debet ex Plinio lib. 21. cap. 10. Sũt qui  
 gradatim putant dici lamam, laminam, & lamellam. Cer-  
 te Sext. Pompeius lamam ait esse lacunã, idest aquæ col-  
 lectiõnem quam alii lustrum appellant. Quod autem ad  
 rem attinet, Plinius dicto. 33. libri loco, dicit auri modo  
 Minium probari. Auro candente fucatũ nigrescit, synce-  
 rum retinet colorem. ET SI REFRIGERA-  
 TVM RESTITVAT IN PRISTI-  
 NVM COLOREM. Scribendum restituatur.  
 CHRYSOCOLLA APPORTATVR  
 A MACEDONIA. Dioscorid. lib. 5. cap. 95.

scribit